



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

II.Coprus naturale partes continuas actu vbicatas sibi vendicat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)



TRACTATUS III.

*An corpus naturale partes continuas actu,
vel solum potentia sibi vendicat?*

CAPVT PRIMVM.

Corpus naturale de facto existens partes continuas actu distinctas sortitur.



ONNVLII apud Algazelem lib. I. suæ log. & Hurtadum disp. I. 5. Phys. sect. I. tuentur, corpus naturale continuum, quatenus tale compositum formaliter non esse, eo quod partes actu distinctas non contineat, solumque eas in potentia complectatur. Etenim continuum, inquit, tum duntaxat partes actu distinctas habet, cum eas habet diuisas: quare cum eius partes non actu, sed potentia diuisæ sunt, certè non actu, sed potentia diuisæ erunt. Fundamentum huius sententiæ nullum est; tantumque conficta est, ut difficultates circa continui compositionem euadat.

2 Impugnatur tamen primò: quia realis separabilitas est euidens, & irrefragabile signum distinctionis realis: at partes continui, quantumlibet vnitæ, realiter separabiles sunt, ac diuisibiles. ut largiuntur aduersarij: ergò & distinctæ. Secundo, quia partes digiti v.g. ita comparatæ sunt, ut vna flectatur, ac moueatur immota alia, vna caleseat altera non calefcere, vnaque manente illa lædatur altera: quidni ergò hæc prædicata contradictoria eas actu distinctas arguant? Tertio quæ semel identificantur realiter, ne diuinitus distingui possunt: aliàs cur Petrus v. g. quantumuis secum ipso realiter idem, à se ipso postea distingui, & identitatem cum distinctione commutare nequeat? At partes continui iuxta aduersarios in ipso realiter identificantur: ergò ne diuinitus fieri poterit, ut etiam facta earum separatione distinguantur. Consequens est euidenter falsum: ergò & illud ex quo sequitur.

3 Quarto: vna pars continui est alterius vera causa, ut cum lignum sensim ignescit: at nihil sui ipsius esse potest vera causa: ergò vna pars continui actu non est alia, sed potius ab ea distinguitur. Quintò, partes continui, iuxta eos quibuscum disputamus, tum solum actu distinguuntur, cum separantur, atque diuiduntur: ergò qui earum diuisionem facit, earum etiam distinctionem efficit: cum ergò earum distinctio ab earum entitate diuersa non sit, eo quod constitutum cuiusque rei sit etiam eius distinctum, sanè qui earum diuisionem, & distinctionem facit, earum etiam entitatem facit: at agens creatum diuisionem, ac distinctionem actualem partium materiæ naturaliter efficit, ac proinde creabit: hoc autem consequenti nihil absurdius.

4 Tandem vnio continuatiua partium corporis naturalis eas nequitam identificat: tales ergò partes actu non identificantur, sed potius sunt distinctæ. Antecedens probatur, tum à priori, quia vnio compositionis, & identitas diuersarum rationis sunt: perperam
Lyncei R. P. Richardi, Philosophia Tom. II.

ram ergò munus vnus adscribitur alteri: tum quia aliàs eadem ratione dici posset, vnionem essentialem partium hominis, materiæ videlicet & formæ, eas inuicem identificare, atque adeo hominem non esse essentialiter compositum, quod tamen euidenter falsum est: tum denique, quia aliàs eodem modo dici posset, & deberet, vnionem hypostaticam Verbi cum humanitate assumpta verbum cum illa identificare, & vtriusque actualem distinctionem tollere: quod quis non videat hæreticum esse, & contra illud Athanasij in Symbolo ibi: *qui licet Deus sit & homo, non non duo tamen sed vnus est Christus: vnus autem, non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: vnus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

Respondent primò aduersarij, his argumentis à nobis propositis partes continui designari, atque adeo mente separari, & diuidi: unde, elto iis concludatur, partes continui actu distingui, non tamen ea distinctione, quæ separationem earum antecertat saltem mentalem, sed potius quæ cum ea sit coniuncta. Contra tamen sic argumentor, quia separatio mentalis tantum ratione, non verò realiter distinguere potest: at designatio partium continui eas tantum mentaliter separat: ergò tantum ratione, & mentaliter eas actu distinguit, non verò realiter: partes ergò continui, quantumlibet non designatæ, à parte rei actu distinguuntur, earumque distinctio realis ab illarum designatione minime proueniet.

Respondent modo alij, distincta duplici identitate; alia stricta, siue primi generis; alia minus stricta, & secundi generis: argumenta autem superiora solum identitatem strictam, ac primi generis, non identitatem minus strictam, & secundi generis inter partes continui suadere: quare aliqua identitate vera, etsi non summa, & prima eas gaudere. Verum hæc, voces sine nucleo sunt: equid enim esse potest identitas illa secundi generis inter partes continui, quam earum vnio, & continuatio à nobis non negata: aut identitas illa primi generis, quam identitas absolute sumpta à nobis negata: Deinde eadem ratione complures identitates comminisci quibus posset: Petrumque v. g. habere cum Paulo identitatem tertij generis, cum equo identitatem quarti generis, cum Angelo quinti generis &c. quæ ridicula sunt. Demum, quod caput est, præfata identitas secundi generis inter partes continui ab aduersariis conficta, ne ad id propter quod confingitur deseruit: siquidem partes continui saltem identitate primi generis destitutæ sunt: ergò distinctione primi generis gaudent: in hac distinctione difficultates omnes continui, quas effugere nituntur, quos impugnamus, procedunt.

CAPVT II.

Corpus naturale partes continuas actu ubicatas sibi vendicat.

Recentiores aliqui aliter continuum partes in potentia habere tutantur, censentque eas esse puncta infinita, quæ licet actu distincta sint, actu tamen, & simpliciter ubicata non sunt ea vocatione, quæ propria vbiatio, iisque intrinseca sit. Pro quo supponunt, aliquid bifariam in loco esse posse: primo per intimam præsentiam: qua ratione animus in loco corporis, & Deus in spatio huius vniversi existit: secundo per continentiam localem: qua ratione id existit
H 2 in

in loco, quod eatenus locum occupat, quatenus intra terminos aliquos intrinsecè locatos clauditur. Prior modus existendi in loco est proprius: posterior verò improprius: prior intrinsecus: posterior verò extrinsecus.

8 Igitur in linea A, — B, Puncta omnia inter A & B, cadentia sunt in loco per meram continentiam localem, nullumque eorum est in loco per vicationem indiuisibilem physicè, hoc est non habentem partes, aut indiuisibilem mathematicè, hoc est sine pluralitate partium extensam: quare puncta illa intermedia puncta potentialia appellantur, eoquod non sint actu in loco per intimam præsentiam, in eo tamen esse possunt. Cæterum puncta A, & B, sunt in loco per intimam præsentiam: & quodlibet eorum habet vicationem physicè & mathematicè indiuisibilem, quæ punctum fixum à præfatis recentioribus nuncupatur; sicut etiam puncta ipsa, A, & B, ab iis puncta actualia mobilia nuncupantur: in continuo autem nihil esse aiunt præter puncta actualia, puncta potentialia, & puncta fixa. Quod de linea comparatione punctorum, idem de superficie, & corpore seruata proportionem censent, videlicet superficiem à lineis localiter contineri, & corpus à superficiebus.

9 Fundamentum primum huius sententiæ est: quia, si puncta omnia lineæ A, — B, quæ vnus palmi esse fingamus, si, inquam, omnia eius puncta, quæ aliunde infinita non esse nequeunt, essent intimè, & propriè in loco, sanè ordinata essent, vnumque eorum post aliud, necnon in certâ distantia, aut indistantia ab alio esset. Consequens est absurdum: ergo &c. Maior perspicua est. Minor ostenditur: punctum A, distaret palmo à puncto B, & aliud punctum semipalmo, & aliud quarta parte palmi, aliud octaua parte, aliud decima sexta, & sic in infinitum secundum proportionem subduplicam: quare à puncto A, inclusiue ad punctum B, exclusiue erunt infinita puncta suo ordine disposita, quorum alia aliis respectu puncti B, distantiora sunt, & respectu puncti A, propiora. Nuncupetur ergo primum punctum A, sicuti hætenus, & secundum D, tertium rursus A, & quartum D, & sic in infinitum, quadam alternatione punctorum A, & D, quo fiet, vt collectio punctorum A, sit æqualis collectioni punctorum D, & etiam ea maior sit, quæ repugnantia sunt.

10 Prius quidem probatur, quia post quodlibet punctum A, sequitur punctum aliquod D, ergo collectio punctorum A, & collectio punctorum D, sunt inuicem æquales. Posterius probatur: à collectione punctorum A, primum punctum A, auferatur: quo ablato eadem ratione probari potest, collectionem punctorum A, quæ remanent, & collectionem punctorum D, esse æquales: siquidem post quodlibet punctum D, est aliquod punctum A: si ergo collectioni punctorum A, primum punctum A, ab ea ablatum restitueretur, sanè collectio punctorum A, maior erit collectione punctorum D, cui tamen æqualis nuper probata est. Hoc eodem argumento probare nituntur, impossibile esse infinitum categorematicum, siue in actu; quia nimirum, si infiniti homines albi, & nigri alternatim collocentur, vnus scilicet post alium, sanè albi plures erunt quam nigri, simulque iis æquales, & non plures. Fundamentum secundum huius sententiæ est, quia iuxta illam difficultates omnes continui facile solui videntur.

11 Verum ea sententia mihi tam displicet, quam quæ cap. præcedenti commemorata est, atque impugnata: sicut enim altera distinctionem actualem partium continui, sic altera actualem earum vicationem

nem de medio tollit: quorum quid absurdius sit, haud facile diiudicari potest. Impugnatur primo: quia puncta lineæ A, — B, puncta inquam inter A, & B, cadentia penetrantur cum spatio inter A, & B, interiecto: sunt igitur in illo spatio per intimam præsentiam, & vicationem iis intrinsecam, & propriam, non vero per solam continentiam illam localem. Antecedens probatur, quia nihil collocari potest in illo spatio, cum quo illa non penetrantur: signum ergo est illa cum eo spatio penetrari. Quod autem hoc ipso illud intimè, & propriè occupent, vt dictum est in consequente, suadet: quia idè præcisè Deus est in spatio totius vniuersi per intimam præsentiam & vicationem sibi propriam, quoniam cum eo penetratur. Secundò, & recidit in idè: si cum linea A, — B, alia linea æqualis penetraretur puncta, intermedia vtriusque penetrarentur inuicem: ergo eiusmodi puncta intermedia sunt in loco per intimam præsentiam, & vicationem propriam: aliàs anima penetrata cum corpore, hoc non obstante, carere posset vicatione intrinsecam, & propriam, qua per intimam præsentiam in spatio corporis locaretur.

Tertiò confutatur eadem sententia: quia puncta 12 intermedia lineæ ita instituta sunt, vt aliqua magis, aliqua minus inuicem, & ab extremis distent: nihil autem ab alio distans, aut indistans esse potest, nisi sit in loco per intimam præsentiam, siue vicationem sibi intrinsecam, & propriam: ergo, &c. Maior experimento testatissima est: Minor probatur: quia puncta terminatiua lineæ, quæ ab aduersariis puncta actualia mobilia nuncupantur, sunt in loco per intimam præsentiam sortiunturque vicationes mathematicè indiuisibiles sibi intrinsecas siue puncta fixa: non alia ratione, nisi quia certam inuicem distantiam habent, qua carere possent: ergo, &c. Equidem si distantia, atque distinctio punctorum, quæ lineam continuant, saluari potest, absque eo quod sint in loco per intimam præsentiam, non conspicio, cur idem de punctis, quæ eam terminant, non cōtinuant, dici nō possit.

Quartò, si, quod possibile esse inferius ostendam, 13 linea aliqua vtrinq; v. g. versùs orientem, & occidentem infinite protensa sit, sanè eius puncta continuatiua locum obtinebunt, vt certo certius: at non per continentiam localem, qua duobus terminis clausa, & carcerata sit: ergo per intimam præsentiam: ac per consequens idem de punctis cuiusvis alterius lineæ dicendum est. Quintò puncta omnia, siue extrema, siue intermedia lineæ lapideæ v. g. sunt homogenea, & eiusdem speciei: vt compertum est, vtque aduersarij fatentur: cur ergo alia per intimam præsentiam, alia verò per solam continentiam localem in loco existant? Nonne eadem ratione dici posset, homines eiusdem speciei, quotquot existunt, ita comparatos esse, vt alij propriè, & per intimam præsentiam, alij verò impropriè, & per continentiam localem spatium loci obtineant? Sextò refellitur ea sententia: quia iuxta eam facile defendi posset, solam superficiem extimā primi mobilis esse in loco per intimam præsentiam, seu vicationem propriam: reliquas verò partes vniuersi per solam continentiam localem, qua ab illa superficie vndique coercentur: quo quid absurdius potest excogitari? Septimò tandem ea profligatur opinio: quia existere in loco per continentiam localem, siue extrinsecè est impropriè tātum existere in loco, ac proinde simpliciter in illo non existere: at quis credat, lineam ferè se tota, & ab vno extremo indiuisibili ad aliud exclusiue non existere simpliciter in loco: aut corpus etiam ferè secundum se totum, & vsque ad extimam superficiem

- ciem simpliciter ac propriè non occupare locum?
- 14 Ad prius aduersariorum argumentum, quod alternatiuum nuncupant, dicendum est, illud imprimis instari in infinito successiuo. Siquidem durationes, quibus anima D. Petri v.g. æternum duratura est, infinitæ sunt: aliæque aliis ordinatè succedunt. Vocetur ergò prima duratio A, & secunda B, tertia rursus A, quarta B, & sic absq; fine: sanè collectio durationū A, erit simul maior collectione durationum B, simulque ei æqualis; si cuius momenti est argumentum alternatiuum, vt eius vim expendenti constabit.
- 15 Respondent primò, durationem non distingui à re durante, & tempore fluente; atque adeò durationes illas infinitas syncategorematicè, sibi que successiuas, repugnare. At quid inde? An non gyrationes Cœli specie diuersæ, & à Deo designabiles infinitæ esse possunt? nimirum, si Cœlum semper, ac per diuersa spacia, & diuersa orbita rotetur: in quibus gyrationibus, equis non videat, aduersariorum argumentum proponi posse, atque infringi?
- 16 Respondent secundò, quamuis durationem A, correspondere alicui durationi B. catetum inde non fieri, collectionem durationum A, esse maiorem simul, & æqualem collectioni durationum B: quia, inquit, vtrique collectio est chimæra, & quid repugnans, & commentitium, atque adeo incapax, quæ relationem reale maioris, minoris, aut æqualis suscipiat. Quod autem quæuis collectio ex ambabus propositis chimæra sit, hac ratione suadent: quia chimæra est, quæ inuoluit terminos impossibiles. & inuicem repugnantes. esto absolutè possibiles sint; vt homo hinnibilis chimæra quidem est, quoniam licet humanitas sit possibilis, & hinnibilitas similiter possibilis, ac non repugnans sitcererum humanitas, & humilitas inuicem impossibiles sunt. & per identitatem realem nusquam, & nunquam coniungi sultinent: ac quæuis collectio earum, de quibus sermo est, infinitas inuoluit durationes, quæ possibiles quidem sed impossibiles sunt: & ideo absolutè non repugnent. nunquam tamen possunt in eodem tempore existere: quæuis ergò earum chimæra censenda est.
- 17 Verum hæc solutio mihi summopere displicet. Ac primò, quia pœna damnati quid possibile est; eiusque possibilitas fidei nostræ dogma est, & quidem vnum ex præcipuis: at pœna damnati est collectio durationum successiuarum, quibus ille æternum cruciandus est: ea igitur collectio infinita possibilis est, & non chimærica, aut commentitia. Id suadet, quia nulla pars eius collectionis est tota pœna damnati: aliàs, quæ ratione quæuis pars prædictæ collectionis finiri potest aliquo instanti, ac præterire, non esset cur pœna damnati non posset finem aliquando sortiri, totaque desinere: ergò tota collectio illa eius pœna est. Secundò, tempus reale est collectio plurium durationum successiuarum, simulque existere repugnantium: at tempus reale non est chimæra: similiter ergò in præseti. &c. Minor manifesta est. Maior probatur, quia tempus ab Aristotele, & reliquis definitur, numerus motus secundum prius, & posterius: ergò durationes successiuas essentialiter complectitur, earumque collectio quædam est.
- 18 Tertio: quod vbicationes, quibus corpus aliquod, penes alias aliasque sui partes, alias & alias loci partes occupat, tales sint, vt ne diuinitus esse possint simul, & in eodem loco, haud facit, vt earum collectio sit chimæra: aliàs vbi circumscriptionum in eiusmodi collectione positum esset chimæra, & merum rationis commentum: ergò etiã quod collectio infinita durationum

Lyncei R.P. Richardi, Philosophia Tom. II.

rationum successiuarum ea sit, vt eius partes in eodem tempore esse nequeant, efficere non poterit, vt sit chimæra. Quod si prior collectio chimæra non est, quia omnes eius partes in eodem tempore esse possunt, licet non in eodem loco, eadem ratione posterior collectio chimæra non erit, quoniam omnes eius partes in eodem loco esse possunt, licet non in eodem tempore. Quartò, hæc propositio, *Petrum durare toto hodie possibile est*, nullam habet falsitatem, sed potius est vera, vtque maximè: igitur collectio durationum hodiernarum Petri possibilis est: at eæ durationes sunt essentialiter impossibiles in eodem tempore: similiter ergò collectio infinita durationum successiuarum possibilis, & non chimærica censenda est.

Quintò deniquè, ea sola collectio censeri potest chimærica, quæ terminos inter se realiter distinctos identificat, siue per identitatem colligit; vt cernere est in hac chimæra, *homo inihibilis*; vbi homo ab hinnibili realiter distinctus quasi tamè cum eo idem apprehenditur. At collectio infinita durationum successiuarum terminos inter se distinctos neutiquam identificat, vel per identitatem colligit. Cur ergò eiusmodi collectio sit chimæra? Minor perspicua est: quia collectio illa est collectio durationum distinctarum, & quæ velut distinctæ à nobis apprehenduntur: terminos ergò distinctos nequaquam identificat. Maior verò probatur, quia aliàs omnis collectio rerum distinctarum chimæra esset, cum nulla sit, quæ terminos distinctos, & quodammodo impossibiles non complectatur: ergò sola illa collectio chimærica est, quæ rebus distinctis identitatem attribuit.

Respondent tertio, ea solum collectiue sumi posse, quæ aut simul existere in aliquo instanti in eoue præterisse possunt, aut quorū nomina distincta simul existere, vel aliquando præterisse possunt: cum ergò collectio durationum infinitarum successiuè futurarum nec quoad ipsas durationes nec quoad earū nomina simul existere aut aliquando præterisse possint, sanè ea collectio collectiue sumi nō poterit, & propositio collectionem illam significans erit de subiecto nō supponente, ac proinde nihil concludet. Verum quid magis ridiculum, quā collectionem aliquam collectiue sumi non posse? An non eadem ratione fingi posset, neque totum aliquod totaliter, neque partes aliquas partialiter sumi posse? An non etiã fingi poterit, collectionem aliquam possibile esse, quæ nullatenus sumi possit distributiue? Deinde hæc propositio, *pœna eodem nati infiniti numero erunt*, hæc in quā vera est: at verè non esset, nisi eius subiectū collectiue sumeretur: siquidem diuisiue sumptū propositionē illam necessario falsificat, eo quod quæuis pars pœnarū condénati numero finita sit: igitur subiectū eius propositionis, ac proinde collectio aliqua infinita successiua sumi poterit collectiue. Hactenus prior instantia argumenti alternatiui.

Quod etiam aliter instari potest in ipsius punctis potentialibus. Quantiuis enim in loco per vbicationes proprias, & intrinsecas non sint, certè à Deo designari, & nominari poterunt: an enim qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat, puncta lineola designare, & nominare nequibit? Aliunde verò, etsi actu in loco vnum post aliud non sint, in eo tamen ita esse possunt: vocetur ergò Deo primū punctum potentiale A, secundum D, tertium rursus A, quartum D, & sic de reliquis: an non hic prior alternatio, & cum ea tota argumenti contrarij vis reuertitur? Dicūt ij quibuscum disputamus, vnicitatē rerum, ratione cuius designabiles sunt, consistere in accideribus actualib; quæ ita alicui insint, vt ea aliaue eiusdē

speciei in nullo alio reperiantur: quæ enim, tam in se-
ipsis quam in accidentibus quibus actu pollent, eius-
dem speciei sunt, certè iuxta Aristotelem 10. Me-
taph. *indivisibilis intelligentia sunt*, & inuicem di-
uidi, aut secerni cogitatione non possunt: cum ergo
puncta potentialia, lineæ vicationes, aliæ acciden-
tia specie diuersa, non fortiantur, & in se ipsis homo-
genea sint, atque eiusdem speciei, sanè ne à Deo sim-
ul deligari, aut secerni poterunt, esto successiue, &
syncategorematicè diuersis specie accidentibus ea
afficere, & affecta designare possit. Verum hæc solu-
tio latè à nobis impugnata est in dilectica lib. 9. tract.
4. cum sermo esse de indiuiduo speciei correlatiuo.

22 Absolutè ergo dicendum est ad argumentum in
quo versamur, ex eo quod cuilibet puncto A, pun-
ctum D, post se correspondeat, neutiquam inferri
vnam collectionem alteri esse æqualem, & dempto
vno puncto, & postea restituto, eandem alia simul
maiorē esse: videlicet quia esse æquale aut inæqua-
le, maius aut minus dumtaxat sunt proprietates num-
eri finiti, secus verò in infinitis: id quod expresse docent
Scorus in 2. dist. 1. q. 3. Mairon. in 1. dist. 4. q. 10. Gre-
gorius dist. 4. q. 4. art. 2. Lichetus in quodlibet Sco-
ti q. 5. Bassolis in 2. dist. 1. q. 5. Richardus in 1. dist. 4. 3.
q. 5. Valquez 1. p. disp. 26. cap. 3. Hurtadus disp. 1. 3.
phys. sect. 1. Conimbricenses lib. 3. phys. cap. 8. q. 4.
art. 4. alijsque innumeri, vt mirari satis nequeam, re-
centiores hos in præcis scholasticis versatissimos id
tamen principij impræsentiarum supposuisse, quod
toti sermè antiquitati refragatur.

23 Dices, vna persona diuina alteri equalis est, iuxta
illud Athanasij in symbolo, *tota tres persone coæ-
ternæ sibi sunt, & coæuales*: & tamen quæuis persona
diuina infinitè perfectæ est: quidni ergo vna etiam
collectio infinita alteri esse possit æqualis? Verum
æqualitas diuinarum personarum non positiua est,
sed negatiua: quæ in eo consistit, quod neutra earum
alia maior, aut minor sit: sicut Deus ens à se dicitur,
non positiue, sed negatiue, eo scilicet quod non sit ab
alio. Hac autem ratione largior, vnam collectionem
infinitam alteri æqualem esse: ex qua rursus earum
inæqualitas neutiquam effici poterit, sed potius negatio
omnis inæqualitatis. Et quidem quod dixi, æqua-
litatem personarum sanctissimæ Triados esse non pos-
situiam, sed negatiuam, insinuat videtur à B.
Thoma 1. p. q. 42. art. 1. corp. ibi: *necessè est, ponere
æqualitatem in diuinis personis: quia secundum Phi-
losophum in decimo Metaphysicorum, æquale dicitur
quasi per negationem minoris, & maioris. Non autem
possumus in diuinis personis ponere aliquid maius, &
minus*. Hactenus ille. Aut dic, æqualitatem, & inæ-
qualitatem numericam solius collectionis finitæ pro-
prietates esse: eo quod numerus omnis propriè sum-
ptus sit finitus: æqualitatem autem & inæqualitatem
perfectionis non esse proprietates solius rei finitæ;
propterea quod solæ res finitæ perfectione non gau-
deant: vnde mirandum non esse, quod personæ diui-
næ quantumuis infinitæ propriè tamen, & positiue
sint æquales.

24 Vrbè quæuis pars vnius collect. infinitæ æqua-
lis propriè, & positiue esse potest cuius parti alterius
collectionis etiā infinitæ: tota ergo collectio infinita
alteri etiam infinitæ propriè, ac positiue æqualis esse
poterit. Cōsequētia perspicua est, sicut perspicuū est
eo ipso quod ex duplici collectione finita dierum v.
g. tot sint horæ cuiusvis diei vnius collectionis, quot
sunt horæ cuiusvis diei alterius collectionis, eo in-
quam ipso omnes horas vnius collectionis totaliter
sumptæ, & omnes etiam horas alterius adæquatæ

collectionis totidem esse, atque omnino æquales.
Antecedens autem probatur: quia vna & altera col-
lectio infinita ex infinitis binariis v. g. sibi mutuo
respondentibus coalescere potest: at quiuis binarius
vnius collectionis æqualis est cuius numero bina-
rio alterius collectionis: ergo & c. Verum, sicut quæ-
uis duratio successiua animæ D. Petri aliquo instan-
ti præteritura est; deque ea verum erit, *nunc nullo
modo est, sed antea fuit*; & tamen de tota collectione
durationum, quibus anima D. Petri æternum dura-
tura est, id dici non potest, ita similiter quæuis pars
vnius collectionis infinitæ cuius parti alterius col-
lectionis itidem infinitæ æqualis esse poterit, quin
in ipsas collectiones ea æqualitas cadere possit, aut
debeat.

25 Secundò dici potest ad principale argumentum,
quod præ manibus est, esto permittatur disputandi
gratia, collectionem punctorum A, & collectionem
punctorum D, esse etiam positiue æquales, perpe-
ram tamen inde inferri, collectionem punctorum A,
vno ablato, & postea addito esse maiorem colle-
ctionem punctorum D. Ratio est, quia additio illa fini-
ta est; infinitum autem additione finiti propriè, &
simpliciter maius fieri nequit: qua ratione Deus, &
homo maius quid non est, quam solus Deus; eo quod
accessio hominis ad Deum re vera sit accessio finiti
ad infinitum.

26 Tertiò respondebit fortasse aliquis ad idem argu-
mentum, collectionem punctorum A, esse maiorem
collectione punctorum D, quia, licet post quodlibet
punctum A, sit punctum aliquod D, tamen ante
quodlibet punctum A, non est punctum aliquod D.
sicut ante quodlibet punctum D, est aliquod punctum
A. Itaque quodlibet punctum D, interiacet duo puncta A,
contra verò quodlibet punctum A, non interiacet duo
puncta D; cum primum punctum A, ea non inter-
iaceat: quare collectio punctorum A, collectionem
punctorum D, facile superabit.

27 Verum hæc solutio, tametsi primo aspectu plausi-
bilis sit, penitus tamen inspecta nemini satisfac-
cipit. Namque collectio punctorum A, solo vno pun-
cto collectionem punctorum D, superat: ergo si pun-
ctum illud auferatur, vna & alia collectio æquales
erunt. At quod neutiquam æquales esse possint, sed
vna maior alia, suadet: siquidem ablato primo pun-
cto A, & nulla eius ratione habita, ante omne pun-
ctum A, & etiam post omne punctum A, eorum quæ
remanent erit aliquod punctum D, cum tamen ante
omne punctum D, non sit vllum punctum A, ex hy-
pothesi facta: collectio ergo punctorum D, maior
erit collectione punctorum A, vno puncto A, ablato.
En euitari nequit iuxta præfatam solutionem, quin
duæ collectiones simul sint æquales, & inæquales,
siue vna maior alia.

28 At dices, numeri finiti inæquales ad æqualitatem
reduci possunt, dempto eo in quo vnus alium supe-
rat, & excedit; videlicet quia numerus omnis finitus
æqualitatis capax non est: ceterum collectio infinita
cum alia collectione infinita alternatim recur-
rens æqualitatis cum ea essentialiter incapax est; at-
que adeo, exempto illo in quo vna aliam excedit, non
ob id vna alteri æqualis euadet. Quod in hunc mo-
dum à paritate confirmabis: quamuis finitum additio-
ne finiti simpliciter maius euadat, tamè infinitum fini-
ti additione nequit euadere, aut fieri maius; similiter
ergo, quamuis finitum, inæquale alteri finito aliqua
additione, vel diminutione ei possit æquari; cete-
rum in infinito ea regula locum habere non poterit.

Contra tamen illud facit, quod si numeri infiniti
non

non sunt incapaces inequalitatis, ita nec etiam erunt incapaces oppositæ equalitatis: cur ergo ad eam reuocari non possit collectio aliqua infinita, per eius, in quo erat excessus & inæqualitas, ablationem? Et quidem aliqui collectio infinita minor euadere poterit repente maior, eius ablatione solius, in quo excedebatur ab alia itidem infinita: quod tamen est euidenter falsum, & contra primam apprehensionem terminorum. Atque hæcenus ad primum aduersariorum argumentum. Ad alterum verò dicendum est, sine eo quod partes continui negentur actu & propriè vbicacitæ, earum compositionem apprime explicari ac defendi posse, vt decursu tractatum sequentium constabit.



TRACTATVS IV.

An corpus naturale aliquibus inuisibilibus continuetur?

CAPVT PRIMVM.

Corpus naturale nullis indiuisibilibus continuatur, aut terminatur constat.

ITA Okamus in tract. de Euchar. cap. 1. & 2. & quodlib. 1. q. 9. & in log. cap. de quantitate, & Gregorius, Gabriel, ac ceteri Nominales. Item Durandus in 2. dist. 4. q. 4. Fromondus in Labyrintho a cap. 3. eandem sententiam tuetur ex nostris Dandinus, lib. 3. de anima comment. III. digressione 10. Probabilemque reputat Pereira in Phys. lib. 10. de quantitate cap. 6. §. *Restabant*. Porro indiuisibile reale triplex est: videlicet punctum, quod nullo modo diuisibile est: linea, quæ versus longitudinem solam, non verò versus latitudinem, aut profunditatem diuisibilis est: & superficies, quæ versus longitudinem, & latitudinem, non autem versus profunditatem diuidua est. Indiuisibile autem continuatum est, quo partes continui inuicem copulantur: terminatum, quo terminantur, & clauduntur: puncto autem partes lineæ, linea superficie partes, superficie demum partes corporis continuantur, aut terminantur, si eiusmodi continuatio, aut terminatio in indiuisibilibus sita sit. Talia ergo indiuisibilia realia à parte rei nulla esse sed sola mentis apprehensione fingi censent præfati Authores: quibus subscribo.

2 Et quidem, nulla puncta terminatiua in rebus esse, suadet: quia, etsi à linea absunderentur puncta terminatiua, non ob id ea euaderet infinita, nec ulterius protraheretur: ergo se ipsa absque illis punctis quodammodo terminari, atque finiri posset, & deberet. Secundo: quia nulla linea absolute, & simpliciter terminatur, sed potius quævis linea alicui alteri continuatur: nulla ergo linea constat punctis, quæ merè terminatiua, & non continuatiua sint, sicuti aduersarij arbitrantur. Consequentia manifesta est: probatur antecedens; quia in triangulo v. g. quantumvis tres eius lineæ terminatæ videantur, tamen re vera inter se continuantur in punctis angularibus: unde, vt iam iam inferebam, puncta earum angularia dumtaxat terminatiua esse non possunt. De quibuscumque autem aliis lineis eadem ratio est, vt intuenti perspicuum erit.

Iisdem rationibus suaderi facile potest, superficiem terminari non posse: quamuis enim superficies aliqua omni linea spoliaretur, non ob id ulterius protraheretur: & in superficie tessera v. g. nulla linea merè terminatiua esse potest; si quidem sex tesserae superficies non tam terminantur, quam versus lineas angulares contineantur. Quod verò corpus per superficies non terminetur, etiam perspicuum est: quia corpus extrema superficie destitutum non propterea ulterius protenderetur, sed se ipso finire, & coerceri deberet.

Deinde, quod nulla sint in corpore naturali indiuisibilia continuatiua, haud agere probari potest: quia si punctum v. g. esset vnio partium lineæ sanè hoc ipso foret earum modus: at esse non potest illarum modus: ergo &c. Maior est manifesta, quoniam idcirco vnio partium essentialium, videlicet materia, & formæ substantialis, earum modus est, quia eiusmodi partes essentielles reperiri possunt absque eo quod vniantur, ac proinde egent vnionis modo, per quem earum indifferentia determinetur: ast partes integrales lineæ inueniri possunt, absque eo quod vniantur inuicem: ergo egent modo, per quem hæc earum indifferentia ad vniendum vel non vniendum determinetur, atque adeo earum vnio modus est. Et quidem esse fatentur Rubius 6. phys. tract. de composit. continui q. 1. dub. 2. Hurradus disp. 15. phys. sect. 3. à num. 36. Toletus 6. phys. cap. 2. q. 1. à conclus. 1.

4 Iam verò, quod punctum esse nequeat modus partium lineæ, vt constitutum est à nobis in maiori propositione, sic suadet: omnis modus est forma intrinseca eius cuius modus est: qua ratione actio est forma modalis, & intrinseca agentis, vel passivi: intellectio, ac volitio, si modi ponantur, eo ipso nequeunt non esse formæ quædam modales intellectus, & voluntatis: talesque etiam sunt vbicatio, & duratio, respectu rerum, quas in tempore, & loco constituunt, hoc solo quod sint illarum modi. At punctum nequit esse forma intrinseca partium lineæ: forma enim, & subiectum in eodem loco esse debent; vt omnium formarum, & subiectorum enumeratione constabit: punctum autem, & pars diuisibilis lineæ in eodem loco esse non possunt: quia vel punctum in loco diuisibili esset, non minus quam linea; quod indiuisibilitati physicae, & simul mathematicæ puncti omnino repugnat: vel linea eiusque pars, quod perinde est, in loco indiuisibili esset, non minus quàm punctum, quod tamen cum huius diuisibilitate non cohæret. Nec satis fiet, si quis respondeat, punctum esse in loco proportionali diuisibili, idque eius diuisioni non obstare: quia esse in loco diuisibili quatumvis proportionali & indeterminato aliquam diuisibilitatem saltem mathematicam, siue extensionem aliquam vt minimum virtualement in puncto non arguere non poterit: haud secus ac in ipsa parte proportionali lineæ extensionem, & diuisibilitatem arguit formalem. Simili discursu ei quem hæcenus fecimus, conficitur superficies continuari non posse lineis, nec partes corporis, quas profunditatem appellant, continuari posse munere superficialium.

5 Alio quoque argumento, theologico quidem, suaderi potest, non esse, à parte rei, & seclusa consideratione nostri intellectus, indiuisibilia vlla continuatiua, aut terminatiua. Iis enim semel admissis, Christus Dominus nequit non esse sub indiuisibilibus quantitatis Eucharisticæ: sub illis namque inerat ante consecrationem aliquid substantiæ panis: atqui post consecrationem nihil substantiæ panis remanet sub